

1594 intra quindecim dies , tota Gallia exire , perduellionis pœna proposita , jussum : bona eorum ac supellex ut in pietatis opera ex Parisiensis Senatus sententia erogarentur , statutum . Iisdem quoque subiecti pœnis , e Gallis quicumque extra regnum ad eorum collegia se contulissent . Mœrore ob periculum , gaudio ob atrocissimi casus exitum perfusi Patres , Regi Senatus consulto gratulantur : hortantur , rogant , vitæ ipsius , ex qua Galliæ non modo , verum christianæ reipublicæ incolumentas ac dignitas pendeat , in posterum diligentius consulere velit . Munus id extraordinarii legati , qui adhuc in Gallia erant , obivere . Egregium hoc publicæ pietatis studium cum Henrico pergratum extitisset , Senatui gratias quam maximas egit .

M. D. LXXXV.

1595 Uſcochorum rapinae
Georgio Margiti-
chio duce. **A**nni proximi initia assuetæ rapinæ Uſcochorum exceperat , qui Pharo , Brachia , & Corcyra nigra insulis danno affectis , maritimamque oram depopulati , obvia quæque Christianorum & Turcarum navigia diripuerant , celocem Ascrivio cum publicis literis , negotiatorumque viginti aureorum millibus Venetias venientem interceperant , Georgio Margitichio , imperio Veneto subjecto , in primis duce , qui , trecentis comitantibus sociis , a Georgio Lencovichio , Croatiae præfecto , fide accepta , cum uxore ac liberis e Brachia Senniam se receperat . His incommodis quo minus majora remedia adhiberentur , temporum conditio obstabat : sed ne tot flagitia magis magisque impunitate alerentur , Adriatici sinus , atque adversus Uſcochos præfectis jussum , vel conjunctim , vel separatim prædones persequerentur ; quotquot vivi in eorum manus pervenissent , supremo supplicio plecterent ; exitus omnes a Sennia ac propinquis locis acriori diligentia obsepirent , ut saltem commeatuum omnisque generis annonæ inopia confligati , aliqua ratione facinorum pœnas darent . Marcus quoque Molinus , classis legatus , in Adriaticum sinum evocatus . His querelæ addebantur . Cum Sigismundo Turrio , Rodulphi legato , graviter expostulatum : damna sarciri , ablata restitu petitum ; qui etsi , ut aliqua in parte satis Reipublicæ faceret , Bernardinum Rubeum Senniam misisset ; pollicitis nusquam eventus responderunt . Georgium quin etiam Margitichium